

+ Dum lignee canes sub mulieris palma lirum moderant
moderent

44

A P P E N D I X.

Capitaneo pacis duodecim dierum si posset vi
auferri exercitus, anno, Indictione, ac die ante-
scriptis ipsum Urspergum, regale & inexpugna-
bile Castrum, sine alicuius morte obtinuerunt,
& ad terram funditus ruinari fecerunt ipsi Civita-
tenses.

Quo etiam anno multitudo ineffabilis locustarum
de Orientis partibus adveniens, fœna & bla-
da minuta comedendo, quamplures Forijuli par-
tes destruxit. Sanctam Ecclesiam Aquilegen-
sem Deo regente, & gubernante per Nobilissi-
mum & optimum Virum D. Ludovicum de la
Turre Patriarcham dignissimum, cui vitam bo-
nam, sanitatem integrum, & statum perfectum
largiri dignetur Omnipotens, cui est laus, honor
& gloria per infinita sæculorum sæcula Amen.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti
Amen. Ad honorem SS. Virginis Matris Domini
nostrri Jesu Christi, anno Nativitatis ejusdem
Domini Millefimo, Trecentesimo Sexagesimo quinto,
Indictione tertia, die Sabbati XXI. Junii,
inchoatum fuit celebrari in Choro hujus Civita-
tensis Ecclesiae per Clerum ejusdem, immediate
ante Officium divinum, officium Beatissimæ atque
SS. Matris Mariae: quod quidem Officium annua-
tim perpetuo debet celebrari. Ob quam causam
prudens Vir D. Paulus de Civitate, Cancellarius
Venerabilis Patris & D. Notarii Patriarchæ Aqui-
legensis, donavit Capitulo Civitatensi multa bona
stabilia & mobilia, prout patet publico instru-
mento inde scripto manu Nicolai Notarii Capi-
tuli Civitatensis sub anno prædicto die vigesimo
mensis Junii.

XI.

Historia belli Forojulienſis

Joannis Aylini de Maniaco ex Codice Camilli
Manini.

In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti A-
men. Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi
M. CCC. LXXXI. Indictione IV. die Jovis
III. (a) Mensis Januarii hora IV. noctis expira-
vit Reverendissimus in Christo Pater & Domini-
nus pius D. Marquardus, S. Aquilegensis Ecclesiae
dignissimus Patriarcha, bonus Rector Patriæ Fori-
julii: & die Lunæ sequenti VIII. (b) Januarii du-
ctus fuit, & sepultus in Aquileja: qui omnibus No-
bilibus, pauperibus, viduis, orphanis, & pupillis
semper fuit benignus, pius, misericors; & fuit na-
tione Theutonicus, Bavarus de Aufspurg, Episco-
pus Sanctæ ac Beatissimæ Virginis Mariae de Au-
fspurg. Postmodum vocatus ad Patriarchatum Aqui-
legensem, ad quem Nobilis & circumspectus D. Ni-
chil de Maniaco missus fuit per totam Patriam, ut
instaret ei quod Patriarchatum deberet acceptare;
quia recusabat, eum velle acceptare propter magnas
guerras, & scandala quæ erant in Patria cum Do-
minis Ducibus Austriae. Quæ guerræ ortæ erant sub
Domino Patriarcha Lodoico della Turre: & in ipsis
guerris multi Nobiles de Patria Aquilegensis Eccle-
siæ submissi erant dictis Ducibus Austriae, etiam
contra ipsam Aquileensem Ecclesiam ejusque fide-
les resistentes, & guerram facientes. In qua qui-
dem guerra rebelles erant Domini de Spegnimber-
go cum omnibus eorum locis, & cum Turri sita

(a) Diem 3. Mensis Januarii, simulque diem Jovis, seu
feriam quintam indicat littera Dominicalis F. qua insignitus
erat annus Christi 1381.

(b) Lege diem VII. quam eadem littera Dominicalis F.
patescit. Diem eundem habet Codex Maniacensis,

prope Terram Portusnaonis, D. Andreas de Pulci-
nico, (c) Plebanus de Strasoldo, D. Facina de Per-
tistagno, D. Joannes de Wruspergo, (hi teneban-
tur fidelitate Aquilegensis Ecclesiae;) Terra Aven-
zoni, & Nobiles de Ragonea (d) erant fideles di-
ctorum Dominorum Ducum Austriae. D. vero Dux
Austriae, nomine Rodulphus, gravem animum ha-
bebat contra D. Franciscum de Carrara, eum inten-
dens de dominio Paduae ejicere: & eo modo
potentissimus & Magnificus D. Barnabos Viceco-
mes & Dominus Mediolani mirabiliter animum
gravissimum habebat ad destructionem dicti D.
Francisci de Carrara Domini Paduae. Ita quod ip-
se D. Rodulphus Dux Austriae ivit Mediolanum
tractatum cum ipso D. Barnabone, tam finalem
destructionem dicti D. Francisci, quam hujus Pa-
triæ Forijuli, quia D. Lodoicus della Turre erat
Patriarcha, & contrarius dicti D. Barnabonis.
Et D. Franciscus confederationem fecit cum ip-
so Domino Patriarcha. In ipso tractatu placuit
Deo, & ejus Beatissimæ Virgini Mariæ, sub cu-
jus alis ipsa Sanctissima Aquilegensis Ecclesia de-
fensatur, ut infideles ipsius Aquilegensis Ecclesiae
corrigerentur. Idem D. Dux Rodulphus in Me-
diolano mortis transitum consummavit, & sic ejus
tractatus nocere non potuit huic Beatissimæ Pa-
triæ. Tamen D. Franciscus de Carraria misit suas
gentes in Forumjuli dictæ Patriæ Aquileensi,
& obsedit Spegnimbergum, ibique stetit per plu-
res dies ante Terram. Et hæc fuerunt in (e)
M. CCC. LXVI. in Vigiliis S. Michaelis, insul-
tatio guerræ ipsius. Et non post longum tempus
post inde D. Lodoicus Patriarcha mortis transi-
tum consummavit. (f)

Et Nobilis & Egregius Franciscus de Savor-
gnano miles factus fuit Vicedominus Aquilegen-
sis Ecclesiae, & processit bellicose ad guerram: &
per gentes Aquilegensis Ecclesiae, & Domini Pa-
duae multæ afflictiones, & damna data fuerunt
gentibus ipsorum Dominorum Ducum Austriae.
Et illo anno receperunt Civitatenes Dominis de
Spelimbergo Zuccolam, & D. Joanni de Villalta
Wruspergo: quæ castra illico diruperunt. Et
dum septemcentum Lanceæ intrarent Patriam cum
potenti Milite D. Walterpertoldo de Spegnim-
bergo ad destructionem hujus Patriæ, per dictas
gentes Aquilegensis Ecclesiae conflictæ fuerunt
omnes sub Faganea; & vix quod ipse D. de Spe-
gnimbergo cum aliquibus fugam cepit in Spe-
gnimbergo, & alias gravissimas afflictiones habue-
runt. Tamen gratia Iesu-Christi & ejus Virginis
Mariæ, ipsi de Spegnimbergo perdiderunt Castrum
Trussi, & Castrum Zucculæ, quod ad terram de-
jedum fuit per Civitatenes: & ipsi tunc se redi-
diderunt Aquilegensi Ecclesiae. D. Joannes de
Villalta perdidit Castrum Wrusperi: & per Ci-
vitatenes fuit sibi destrunctum, & disruptum. Illi
de Strasoldo, & (g) D. Facina se dederunt A-
quilegensi Ecclesiae. Illi de Avenzono subjugati
fuerunt, & ad ultima deducti facti sunt servitores
Aquilegensi Ecclesiae. Domini de Ragonea deduc-
ti ad ultima, nihil habentes vescere, propter
quod se dictæ Aquilegensi Ecclesiae dederunt. Et
Terra Portusnaonis ad ultima fuerat reducta: &
nisi fuisset adventus dicti D. Marquardi Patriar-
chæ, qui venit (h) in M. CCC. LXVI. in Vi-
giliis

(c) Dominus Plebanus, in Cod. Maniac.

(d) Cod. Maniac. erantque fideles.

(e) Cod. Maniac. in M. CCC. LXIV. Recre.

(f) Cod. Maniac. consummavit III. Kal. Augusti M. CCC.

LXV.

(g) Idem, qui superius de Pertistagno nominatur.

(h) Annus 1365. adhuc erat in cursu juxta formam Ju-
lianam. Annum vero a Nativitate Domini auspiciatur Hi-
storicus.

Gregorius principis dominus qui secundus dominas Sudomias de la Turre d'eo auxilio fatus cum
nominis fideli solita cura fecit ruinari fastigia castrum Cacale domorum de Spegnimbergi uriente
nobilitate illustrissime civitatis austro generosorum graecis protulit virorum.

cum eorum communis rebus glatae audaci primopote quaque scarpæ ferentes omnium aliam terrarum
et locorum virtutis ac glorie prebetatis triumphale p[ro]pterea obtulit principatum. Nam Corthianorum
neckeriarum domini multorum recentissimus sexagesimus annus probarecur et quartus indio reuado ec-
cennis Novemboris h[ab]et easq[ue] virginis grata.